



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXVI. Carolvs Henricvs Elector L.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

men non nisi obscuram habemus notitiam, non propriam, sed divini Numinis gloriam scopum præfixisse ex eo conicere licet facile, quod in agone ultimo nunquam non repetendum sibi putaverit illud, quod Ecclesia Orthodoxa continuò repetit dicens: *Gloria Patri & Filio & spiritui sancto.* Mors vivis eripuit an. 1678. sub Pont. Innocentio XI.

LXVI. CAROLVS HENRICVS ELECTOR L.

Carolus Henricus de Metternich Lothario Friderico Mo-guntiæ Electori abhinc annis 4. defuncto sanguinis propinquitate simûlque morum & studiorum conformitate conjunctus totidem, quot ille, vixit annos, an. ætatis 57. jam sepultus, decem mensium duntaxat Elector. De Ecclesia simul Moguntina & Trevirensi optimè meritum dixerunt præsertim Canonici illi, qui primò utriusque Ecclesiæ custodem, mox verò Moguntiæ, ut vocant, Chori-Episcopum, & demum Archipræsulem elegerunt. De Imperio non minùs optimè meritum dixit testis maximus Leopoldus Imperator, qui Carolum hunc ob varias legationes laudatissimo modo obitas, & præclara alia in Rem-publicam merita Imperii Comitibus annumerandum censuit. Cæterùm quantam Elector hic fiduciam in DEum conceperit, verbis propriis instar Symboli ftequenter adhibitis manifestavit, dum dixit: *spe fretus divina, saltando superabo mania,* Saltus tamen aut lapsus immaturus nimis præcipitem egit in sepulchrum an. 1679. sub Innocentio XI.

LXVII. ANSELMVS FRANCISCVS. ELECTOR LI.

Anselmus Franciscus ex clarissima familia Rhenana de Ingelheim mundo natus, in Moguntina æde Cathedrali di-versos contendit honorum gradus, quos inter Archipres-byteri